

**Disputatio medica inauguralis, de hydropse anasarca ... / Eruditorum
examine submittit Aegidius Baily, Anglo Britannus, ad diem 5. Novemb.
1723.**

Contributors

Baily, Giles.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud vid. C. Boutesteyn. & Fil, [1723]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gk7a6srt>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



58,147/3 Supp.

C. c.
e. 3



A. Gifford, D.D.
of the Museum.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPE ANASARCA.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. GUILIELMI JACOBI GRAVESANDE,
A.L.M. PHIL. ET J. U. D. R. S. L. SOCII, ASTRONO-
MIÆ ET MATHESEOS PROFESSORIS
ORDINARI.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, & Nobilissima
ACADEMICI FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite &
legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ÆGIDIUS BAILY, *Anglo Britannus.*

Ad diem 5. Novemb. 1723. horâ locoque solitis.



Apud. VID. C. BOUTESTEYN. & FIL. Lugduni Batavorum.

HYDROE ANASARCA.

BY JOHN C. WHITE, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN.

PHILADELPHIA: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.

NEW YORK: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.

LONDON: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.

PARIS: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.

BOMBAY: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.

CALCUTTA: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1854.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE

VIRO

CALEBO BAILY,

ARMIGERO, PATRUO SUO CHA-
RISSIMO, ET IN ÆTERNUM VE-
NERANDO.

*Hancce Dissertatiunculam, studiorum suo-
rum suorum Primitias, omni, quâ
debet, reverentiâ, dicat Dedicatque*

ÆGIDIUS BAILY,

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE

VIRI

CALLEBO BAILLY.

ARMIGERO, PATRUS SUO CHA-

RISSIMO, ET IN AETERNUM VE-

NERANDO.

ACIDUS BAILLY.



DISPUTATIO MEDICA
IN AUGURALIS
DE
HYDROPE ANASARCA.

§. 1.



quandoquidem in omnibus fere Celeberrimis totius Europæ Academiis, ita etiam in hac, nulli secundâ, Lugduno-Batavâ, consuetudo iungit, ut unus quisque, antequam Medicorum ordini adscribatur, inauguralem aliquam Exercitationem publici juris faciat, Ita mihi, ad honorem Doctoratûs in facultate Medicâ, Adspiranti, idem incumbit; & quoniam inter innumeros corpus nostrum Afflictores Morbos, haud minimum sibi vindicare locum, mihi videtur, horribilis ille affectus, quem Medici Hydropem appellant; de eo, pauca, omni qua possum brevitate, dicam; sed quia Morbus hic tam diversus est, & in tot varias species divisus, ut cum omnes hujus mali particulares Historias & curationes enumerarem, nimis fastidiosum foret, de illâ solummodo specie cui Anasarca nomen datur hic agere propono.

§. 2.

Hydropis nomen derivatur ab ὕδωρ aqua, & ὥψ facies, & generaliter definitur a Medicis, status Humoris Lymphatici,

vel sero-aquosi, extravasati & in Cavitates delapsi; aut in vasis ipsis stagnantis & illa nimium distendentis.

§. 3.

Species ejus sunt fere infinitæ, scilicet contingere potest in omni Corporis parte, si in Capite, Hydrocephalus vocatur; si in Pectore, Hydrops Pectoris; si in Abdomine, Ascitis; quando vero eum flatus comitantur, Tympanitidis nomen audit; si in Utero, aut Ovariis, Hydrops illarum partium; si in Scroto Hydrocele; si autem in toto Corporis Habitu, Anasarca nominatur; ad quam redeamus.

§. 4.

Anasarea nomen habet ab ἀνά, σαρκά, circa, carnes, & dicitur quoque Leucophlegmatia a λεῦκον, φλέγμα, pituita alba; a Celso vero & Latinis aqua intercus, & aqua inter cutem vocatur; & existere dicitur quando tota corporis moles per Carnem & sub cute, (scilicet in Membranâ adiposâ) humore pituitoso, sero-aquoso, & albo, plena & turgida apparet, uti eleganter depingitur ab Horatio Lib. 2. Od. 2.

— — — *Aquosus albo.*

Corpore Lauguor

Tumor autem non æqualis fit per totum Corpus, at in inferioribus partibus magis, ob humoris gravitatem.

§. 5.

Cognoscitur 1°. A cute tactui cedente & non Elasticâ, sed foveam relincente. 2°. a Colore pallido tumefcente, a Sanguine Aquoso, orto. 3°. Ab Urinæ & Sudoris paucitate. 4°. a Siti & febriculâ lentâ. 5°. a Respiratione difficili, & aliquando Tussi siccâ, a materie vasa pulmonum stimulante, ortâ. 6°. a Gravitate & Torpore.

§. 6.

Causæ proximæ hujus mali mihi videntur esse omne illud quod Sanguificationem lædit; i. e. quod sanguinem reddit nimis

mis aquosum, adeo ut in vasis propriis contineri non possit, sed in Cavitates deponatur. vel 2^o. ab omni causâ liquidum serosum ita coercente, ut in venas redire nequeat, sed in vasis accumulatur, ibique stagnet. Causæ vero remotæ quæ talia faciunt ferre sunt innumeræ, illarum vero præcipuas enumerare conabor.

§. 7:

Aer frigidus & humidus, humanum Corpus ad hydropem disponit; exemplum cujus habemus in Felice Platero Tom. 3. Cap. 3. dicente *tractavi virginem nubilem, quæ aeri pluvioso & frigido se exponens, subito cum tumore scrofo totius Corporis corripiebatur.* Cujus Ratio est quia aer talis non solummodo aquam nimiam sanguini addit, sed etiam poros cutis ita obstruit, ut Perspiratio sanctoriana impediatur; unde obstructions, & vasorum distentiones; vasa vero distenta, debilitantur, & majori impletioni apta evadunt.

§. 8.

Cibus & Potus. Cibus qui peccare potest vel quantitate vel qualitate; Quantitate, quando plus cibi sumitur quam ventriculus digerere potest; si nimia enim copia ingeratur, ventriculus plus justo distenditur, & in contenta non eâ, quâ debet, vi, ad particulas cibi satis comminuendas, agere valet; porro saliva, succus Pancreaticus, & bilis non sufficienti adsunt quantitate, ut Chylus fiat bonus, sed omnia cruda, non assimilata, Heterogenea in vasa lactea pelluntur, unde obstructions in vasis minoribus & omnia ea quæ in §. ne Præced. memoravi. Qualitate peccat cibus ob cruditatem, viscositatem, aut duritiem, huc spectant fructus immaturi, Poma, Melones, Cucumeres &c. Panis non bene fermentatus, sed glutinositatem suam retinens, omniaque alia alimenta quæ difficilis sunt Digestionis, Potus præ cæteris hic locum obtinet, 1^o. aqua frigida nimiam copiam hausta, & neque vomitu, neque alvo, neque urinâ, neque ullis aliis modis excreta, præcipue si subito fiat post aliquam corporis debilitationem; exemplum hujusmodi narrat Forestus Lib. 19. Obs. 28.

Pau-

Pauper quidam cum continuo aquam frigidam biberet, jecur affatim refrigerari cepit, & hydropem tandem incurrit; nam multa frigida intemperanter hausta, membra refrigerant, subito a balneo, vel venere, vel lassitudine. 2°. Vina generosa & spiritus vini quando immodice hauriuntur, quamvis calidam habent virtutem, morbum hunc frigidum (uti docet Observatio Quotidiana) creant: 1°. Febriculam excitando, unde dissipantur liquidiores sanguinis partes, inde pariuntur obstructions, vasorum distentiones &c. 2°. Sanguinem quasi coagulando aquiosiores ejus particulas a crassioribus seperant, adeoque mistio debita non fiet, sed sanguis erit Heterogeneus, scilicet hic particulam crassiore, ibi tenuiorem, habens; & si forte Particula aliqua crassa vas aliquod obstrueret, subsequentes particulae liquidiores non transire potentes, per poros vasis colabuntur, & in membranâ adiposâ, aut inter Musculos, aut Musculorum fibras, accumulabuntur.

§. 9.

Motus & Quies; Motus enim nimius non tantum febrem excitando, obstructions parit, verum etiam vasa ita debilitat, ut non in fluida, tantâ, quâ olim, vi, agere possint, adeoque nimiae cedant repletioni. Hoc vero immediate facit quies, videmus enim Fœminas quæ nullis utuntur exercitiis, sed vitam sedentariam semper degunt, hoc morbo potissimum esse affectas.

§. 10.

Excreta & retenta si modum excedant maxime huc conducere omnibus notum est; Excreta, seu Euacuationes nimiae hunc morbum inducunt quatenus debilitant. Hæmorrhoides, Menstrua, narium Hæmorrhagia, Venæsectio, aut alia aliquæ excretiones sanguinis nimiae, ut dicit Hipp. (citante Prospero Alpino in Lib. de Prælag. vitâ & morte Lib. 7. Cap. 3.) *Sanguis enim cum supra modum, aut ex utero muliebri, aut ex venis* quæ

quæ Hemorrhoidæ vocantur, aut ex ulcere fluxerit, tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ii, qui ita affecti sunt, offensas habent; nonnulli vero ipsorum non modo hæc patiuntur, verum etiam aqua inter cutem corripuntur. Et iterum Prædictorum Lib. 2. At ne is cui multus sanguis supra infraque perruperit, aquâ impleatur magnus metus est. Hujusmodi exempla quamplurima videnda sunt apud Sennertum, Forestum & alios. Idem verum est de omni aliâ Evacuatione, ut fluxu alvi &c. teste Prospero Alpino de Med. Meth. Lib. 7. Cap. 24. Ubi inter causas Hydropis Excrementorum immoderatam evacuationem, diu perseverantem, recenset. Exemplum tale memorat Forestus Lib. 19. Obs. 36. Homo annos 30. natus, ex chronico morbo prius, & fluxu ventris, quasi in Hæticam febrim incidit, cum putredine, nam & sumpto cibo incalescebat, cui & difficultas spirandi aderat, similiter & tussis; Tandem morbi diuturnitate, quæ hyeme præcedente duraverat, ad cachexiam devenit, & hydropem Hyposarcam, & lienis aliqualem duritiem, ita ut primo pedes intumescerent, ac edematum modo molliores & laxiores fierent, & postea facies & totum corpus tumidum evaderet. Eundem quoque effectum habet Hemorrhoidum, Menstruorum, Perspirationis Sanctorianæ retentio; scilicet copiam sanguinis augendo, & cachochymicam ei naturam introducendo. Exemplum a mensium retentione habendum est in Forest. Lib. 19. Obs. 34. Virgo satis annosa 40. annos nata, cui menses longo tempore restricti fuere, tandem cachexiam incurrebat, max universa caro huic, atque adeo totius corporis moles, spongiæ instar laxa & madida evasit, ac toto corpore colore quodam mortuo, ac adeo intumescente, ut vix procedere posset, illâ nempe specie Hydropis correpta, quam Anasarcam seu Leucophlegmatiam appellamus.

§. II.

Eadem de nimio somno immodicisque vigiliis dicenda sunt, quæ de nimio motu aut quiete; ambo enim corpus debilitando ad hunc morbum conducere possunt.

B

§. 12.

§. 12.

Animi Pathemata huc conferre possunt, quatenus actiones corporis perturbant, inde vires minuuntur & totum corpus languidum evadit, unde liquorum minuta circulatio, stagnatio, & tandem Hydrops.

§. 13.

A morbis acutis antecedentibus oriri quoque potest Leucophlegmatia, viz. ab omnibus febribus non rite sanatis, ita Celsus Lib. 3. Cap. 21. *Sæpe vero hoc malum per se incipit, sæpe alteri vetusto morbo, maximeque Quartana supervenit.* nihil enim vasa magis debilitat, quam longus inveteratusque morbus. Verum non tantum a morbis acutis oritur hic affectus, sed etiam a schirrhis schirrosisque tumoribus in variis corporis partibus, factis; scilicet quatenus vicina vasa comprimendo, obstructions generant; Uti testatur Carolus Piso in Observationibus suis de serofa colluvie §. 4. Cap. 3. *Fit autem plane Hydrops per compressionem vasorum a Parenchymate viscerum extumescente admodum, sive Phlegmonode affectu, sive schirro, quæ causa certe est Hydropis frequentissima.*

§. 14.

Ad Prognosin quæ attinent sequuntur. Omnem Hydropis speciem periculosam esse, & curatu difficilem, eoque difficiliorem, quo magis inveterata est; unde Leucophlegmatia faciliior est curatu, quam ascites; quia liquida adhuc non multum extravasata sunt, visceraque adhuc sana, vasaque nondum rupta, sed tantum distenta existunt.

§. 15.

Leucophlegmatia quoque Pejor evadit, quanto materies illa aquosa in Cachochymiam seu acredinem vergit.

§. 16.

§. 16.

Quo parcior redditur urina, eo plus aquæ in corpore accumulari denotatur; at si augeatur urinæ quantitas, sperandum est, uti loquitur Celsus Lib. 3. Cap. 21. *Neque alienum est metiri & potionem ejus & urinam, nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est.*

§. 17.

Quanto magis conqueritur de siti æger, tanto magis acredo in corpore existit, tantoque Pejor morbus, secundum snem penultimam.

§. 18.

Si tussis ægrum occupet, malum est; significat enim Pulmones ab acri illâ materie lædi. Idem testatur Hippoc. Lib. 2. Epidem. §. 5. & Celsus Lib. 2. Cap. 8. *Æque in ea quoque spem tollit tussis, si sanguis sursum deorsumve erupit, & aqua corpus implevit.*

§. 19.

Hydrops ab acutis morbis originem ducens, raro sanatur, teste eodem, loco citato, ubi his utitur verbis, *at aqua inter cutem, si ex acuto morbo cœpit, ad sanitatem raro perducitur.* Ratio mihi esse videtur, quia materies morbifica (si liceat ita loqui) non prorsus evacuata fuerat, sed schirrhos, aut aliquid simile reliquit, unde si aqua Hydropicorum quam optime educatur, tamen causâ manente, iidem orientur effectus.

§. 20.

Diarrhæa spontanea in initio, appropinquantis valetudinis signum est, secundum Hippoc. Prænot. 457. *Aquæ inter cutem initio, aquosum alvi profluvium, absque cruditate exortum, morbum solvit.* Et iterum §. 6. Aph. 14. *Hydrope detento, si aqua e venis in ventrem confluerit, solvitur morbus.* Exemplum hu-

iusmodi narrat Forestus Lib. 19. Obs. 31. *Hoc modo novi Alcmarianam mulierem ad quam curandam accitus fui, hydrope aquoso seu Leucophlegmatia laborantem, quæ cum in alvi profluvium vehemens incidisset, mox ab Hydrope, & totius corporis mole inflata, miraculi instar, omnibus admirantibus, liberata est.*

§. 21.

Æger si a Leucophlegmatia sanari videretur, & iterum rediret morbus, nunquam perfecte sanabitur. Hippoc. Præn. 459. *Aqua inter cutem quæ curationi cessit, ubi recurrit, spem tollit.* denotat enim delatam non fuisse causam.

§. 22.

Signis Diagnosticis, Prognosticis, & Causis hujus mali enumeratis, restat sola Curatio; ad quam spectant omnia quæ vel humorem illum Leucophlegmaticum evacuant: vel conluetum Robur vasis conciliant: illa vero varia ab Authoribus laudantur.

§. 23.

1. Huc spectat imprimis antiquissima illa methodus urendi & scarificandi pedes, de quâ loquitur Hippoc. in Cap. de loco in Homine; *At aquam intercutem sic curo, tumidas & aquæ plenas partes gladiolo aperio, crebroque ac parum, & e singulis corporis partibus educo, fomentisque utor, & semper ut apertum sit, calefaciente Medicamento illino.* & non solummodo ab Hippocrate usitata fuit hæc methodus, sed etiam ab omnibus Medicis Arabibus, Ægyptiisque, teste Prospero Alpino in Lib. de Med. Ægyptiorum Lib. 3. Cap. 13. & se plures per hanc methodum curasse memorat, dicens *in Ægypto satis familiaris sectio hæc apud plerosque prope talum, supra claviculas administrata, tum in Ascite, tum in Leucophlegmatia, in utrâque enim diu apertis vulnusculis adservatis, humor omnis vacuatur, atque ex eâ vacuatione humoris non minus sublata causa, a quâ Hydrops originem duxit, aliquot*

quot sanatos vidi. Maximum vero hujus methodi incommodum est difficultas labia vulnuscule a Gangrænâ tueri, quod fit ungueo quodam calefaciente.

§. 24.

2. Huc pertinent Diuretica quæ per urinæ vias aquam educunt, qualia sunt inter vegetabilia apium, petroselinum, fœniculum, allium, fructus juniperi &c. inter sales, nitrum, sal ammoniacus, & omnes lixiviales plantarum sales, ustione parati, uti sal Tachenianus; inter Animalia Millepedes. Exemplum Hydropici sanati a solis diureticis memorat Forestus Lib. 19. Obs. 27. *Colonus quidam dum in Galliâ praxim exercerem, hydropice diu laborans, cum nihil opus a Medicis aliis sentiret, me consilii causâ accessit; Cui imperavi, cum non febricitaret, ut continuo allium comederet, quo factum est, ut multum aquositatis per urinam profuderit, atque ex insperato eo remedio sanus evasit.*

§. 25.

3. Huic quoque morbo profunt vomitoria, quæ maxime a Sydenhamo laudantur, nempe non tantum primas evacuant vias, sed totius corporis vasa concutiunt, unde obstructions parvas tollendo, motum liquoribus stâgnantibus conciliant, & per Diaphoresin magnâ copiâ expellunt: hujus generis sunt, Radix Ipecacoanha, Crocus metallorum, Turbith minerale, Tartarus Emeticus, &c. laudatur quoque navigatio per mare, Exemplum enim quamplurima sunt Hydropicorum qui post vomitum a motu navis excitatum, sani evasere.

§. 26.

4. Non minimum hîc obtinet locum altera illa methodus Sydenhamiana, scilicet alvum solvere Hydragogis fortissimis, quæ varia a variis recensentur Authoribus, verum qualia sint, nihil

ad rem facit, modo sint fortia, qualia sunt Scammonium, Colocynthis, Gutta Gamba, & similia, formulam si velis.

℞. Ref. Scammonii.

Pulp. Coloeynth.

Merc. Dulc. ana. 3j.

Terebinth. e Chio q. s. ut fiant Pillulæ gr. v.

de quibus sumat æger a iv. ad vi.

Vel

℞. Refin. Jalappæ.

Gutt. Gmb. ana. gr. viii.

Electuar. Lenitiv. q. s. ut fiat bolus.

Nocent vero interdum Hydragoga nimium usurpata, vires enim ægri adeo prosternunt, ut iterum restitui non possint, & non solummodo aquam educunt, sed totam sanguinis massam, vi suâ dissolvente, in aquam convertunt; unde pejus malum. Quandoque vero loco illorum, purgantia minus fortia in corporibus naturaliter laxis mirum in modum hunc morbum debellant, uti monet Sydenhamus. *In istis qui catharsi prompte cedunt, Syrupus de Spinâ Cervinâ, etiam solus, aquas sat copiose elicit. Quod quidem Remedium in his aquas fere solas, easque in magnâ quantitate educit, nec sanguinem turbans, nec urinam reddens coloratiorem, pro reliquorum purgantium more: Id tantum incommodi habet syrupus ille, quod inter operandum ingentem sitim promovet.*

§. 27.

5. Musculorum motus hic multum facit, nempe vasa roborat & contenta exprimit, interdum vero ægri vires exercitium non tollerabunt, tumque ejus loco substitui debet frictio, quæ tam ab omnibus antiquis Medicis laudatur, inter quos a Celso Lib. 3. Cap. 21. *Quinetiam ter quaterve quotidie opus est uti fricatione vehementi, cum oleo & quibusdam calefacientibus.*

§. 28.

§. 28.

6. Acida quoque & vina acidula uti vinum Rhenanum, Mosellanum, hic locum obtinent, quatenus siti & putredini resistunt; & Chalybeata, quatenus obstructions tollunt, & fibras roborant.

§. 29.

7. Sudorifera ab omnibus fere Medicis quam maxime laudantur, Exemplo sit Prosper Alpinus de Med. Meth. Lib. 7. Cap. 24. ubi dicit *Sudorifica vocata, quæ facultatem habent sudorem movendi, præcipuum utilitatis locum habere solent; siquidem omnis Hydrops sudore tollitur, cum per ipsum & humor in ascite, anasarcaque, & flatus in Tympanitide digeratur; itaque quanto citius ad hoc præsidii genus deventum sit, eo tutius. atque citius Hydrops curabitur*: Sudores vero triplici excitantur modo. 1°. Medicamentis internis datis, quæ calefaciunt & attenuant humores, & per insensibiles meatus eos excutunt; qualia sunt lignum sassafras, Guajacinum, Radix Chynæ, Sarsaparillæ, Serpentariæ Virg. & similia. 2°. Movetur corporis exercitatione de illa vero antea dictum est. 3°. Calore ignis externi corpori applicato, modum hunc excitandi sudores a Celso memoratur, Lib. 3. Cap. 21. *Evocandus est sudor, non exercitatione solummodo, sed etiam in arenâ Calidâ, vel laconico, vel Clibano, similibusque aliis.*

§. 26.

8. Nihil curationem magis expedit, quam bona diæta, omnia enim Medicamenta & quidem Præstantissima semper frustra usurpantur, nisi Diæta cum Pharmaciâ in eundem scopum conspirat, illa igitur exacte hîc observanda est, si felicem ex prioribus operationem, & curationem expectare velit Medicus; Præscribatur ergo Potûs abstinentia, cibus facilis digestionis, multisque scatens Aromaticis, talis est panis biscoctus, qui om-

nem

nem suam viscositatem amisit, adeoque in minutissima vasa transire & ea nutrire aptissimus: porro non multum liquidi externi requirit, momento enim quo saliva secernitur, spongiæ instar eam absorbet, & viscositate nullâ donatus, salivæ secretionem nullo modo impedit, quod a cibis viscidioribus, poros obstruendo, contingeret; adeoque si fere nihil potûs hauriatur, & quotidie aliquid humoris per urinam & Perspirationem perdatur, Ægrotus brevi sanitate recuperabit. Audiamus vero Carolum Pisonem de hac re, loco supra citato, Dissertantem, *supervacaneum est de victûs ratione plura dicere, cum sicca tenuisque sed alioqui in paucâ mole multum nutriens, satis evidenter ab hoc affectu desideretur, in quo per pluvies serosa longe manifestius quam in ullo alio redundat; omnibus namque satis innotuit, quod non pauci tenuioris fortunæ homines ab exquisitâ potus abstinentiâ pristinam recuperarunt sanitatem.*

FINIS.



